

1012

—

—

IV.

—

A

exratissima omnium peccatorum confessione, de Missa,  
Purgatorio, Communione sub unâ: de Invocatione San-  
ctorum & superstitioso ciborum delectu &c. cervices &  
animas preciosissimo Christi sanguine liberatas, de novo  
submittere & atq; sic in aeternum precipitum ruc.  
*Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere,*  
quod aliquis (sive Pastorum sive Auditorum) ante  
nos faciendum putaverit, sed quid qui ante omnes est  
Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetu-  
dinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Isai-  
am Prophetam Deus loquatur & dicat, sine causa me  
colunt doctrinas & mandata hominum docentes,  
ait Cyprianus in Jure Pontificio distin.

s. cap. 9. citatus.

GLORIA DEO & AGNO.

Errata fortè obrepentia, Benevolus Lector  
condonabit.

2. *1378/2.*  
Dissertatio  
POLITICO-THEOLOGICA  
DE  
CLERICORVM  
POTESTATE SECULARI EXEM-  
PTIONE.  
Ad Disputandum proposita  
PRAE S I D E  
IOHANNE INSTI-  
TORIS MOSCHOW:  
Scholæ Schemnicen. Rectore.  
&  
RESPONDENTE  
SAMUELE NICLETZIO.  
Doc. LYPSCHEN.  
Ad diem 11. Novemb: horis ante. & post  
Anno 1655.  
TRENCHINI

Typis Nicodemi Czizek.

J. L. C. decima ac gravitatis in signis Ver. Daniel Amstel

" Régi nyomtatványok, László, evang.:"  
/314.ig. j./

VIRIS

Magnificentia, Strenua Nobilitate, Amplitudine, Claretate, Doctrinâ, Prudentia Eminentissimis Dignissimis, Circumspectis.

Dn. PAULO FANCZI perpetuis de Bozok &  
Dn. JOHANNI Bielitz hæredibus, venerandis.

Dn. JOHANNI SILENI de Fölczei Sileni, Vice-Comiti Comitatus Nagy-Honten, colendo

Dn. DANIELI REMENIO Ecclesiaz Vetusoliens: Myſteſe ſuspiciens.

Dn. MELCHIORI ROTARIDÆ Ministris Ecclesiæ,  
Dn. JEREMIÆ PILARIKIO Carponen. vigilans-

Dn. MARTINO NICLETZIO Ecclesiaz Cormoschien: Ecclesiastæ digniss. nec non Contentiori Venerandi Districtus, Nagy-Honten, fidelissimo, Dn. Parri avum colendo.

Dn. GEORGIO SCHINDLERO Incolæ Civitatis Carponen: gratissimo ac ſc̄pius Judici ibidem gravissimos,

Patriæ Patribus, Fautoribus omnibus & Mæcenatibus, pio reverentiaz cultu, summaq; animi observantia ſuspiciendis.

Salutem & perennis felicitatis uſuram!

S'cepè & multū Mæcenates munificantissimi, mecum ipſe cogitavi, quā ratione fieri posset, ut pro singularibus Uestrīs in eos qui ſe strenuos & artiū liberalium alliuos probant cultores, meritis, gratæ mentis debitiq; honoris ac obſervantiaz documentum aliquod declararem. Ac cùm tanta viribus meis deprehendatur inesse imbecillitas, tan- taq; ingenio meo reperiatur inhærente tenuitas, ut non modo non oratione aliquā excellentiori referre, ſed ne mentis dexteritate quidē auguſtiori cōcipere illam beneficiorū Veſtrorū magnitudinē, quæ ſingulis penè diebus in Scholas, Ecclias, Rem publicā, & alios quosq; egenos tanquā ex locupletissimo divitiarū penū, aſſatim promanat, me poſſe habens profiteat; non mediocriter perturbor Uestrā in artes liberales ampliſſimā perpendens liberalitatem. Cæterū dū ex hoc moleſtissimaru cogitationum mari profundissimo, quasdā orūmpendi quererem rimas, haud commodiorem mihi emergendi objectā occaſionē eſſe gaudeo, quām à Vito Clarissimo JOHANNE INSTITORIS Incluz Civit. Schemnitzen Rectore meritissimo, Praeceptore venerabilis Is enim importunū Papicolarum nō ferens fastum Diſſertationein, quā ut inflatos corū animos intra ſortis ſorū cancellos conſiceret, de Clericorum è Potestate Seculari exemptione, cōſcripsit. Cujus Propugnatorem & in publico exame defensorem, licet ex tanta literatissimoru Juvenum frequen-

guituendum, robustiorē inventre potuillet; metā mē pro lin-  
gulari ejus ergā me amore, & mēā rursus in eum obseruatiā in  
credibili, delegit, & si quos haberē benefactores, ut iis inscriberē,  
ferē invitum per pulit. Quare cum ejusmodi ingeniorū fœ-  
tus, ut robur & commendationem apud alios acquirant, gravis  
alicujus autoritatis & sublimis dignitatis Viris nuncupari so-  
lent, ego non alijs quām vobis, Patroni studiorū munificen-  
tissimi, hocce Dissertationis Politico-Theologicæ contrā ad-  
versarios adornatæ specimen, publicè à me in Schola Schemni-  
tzen, defensum, dicare ac consecrare volui. Verū menim verò  
Mæcenates munificentissimi, per ab humanitate Vesta, quā  
in vobis unā cum ceteris Virtutibus omnibus novi esse singu-  
larem, ut benevolo animo hanc meam invos observantiam &  
debitum vobis gratificandi studiū, unā cum Dissertatione quæ  
vobis consecratur ac offertur, amplecti dignemini. Evidem  
ne arbitremini me eandem vobis inscribendo, tanquam munus  
aliquid tantis Viris contignum offerre; sed subjectionis devo-  
tionis ac fidei, qualemque monumentum ergā vos testari. Nam  
cum per plures sub veltrā tutelā tanquam in placidissimo por-  
tu conquiescant, & munificentiz vestrz aurā exoptatissimā cle-  
mentissimè reccrentur, me Clientulum Vestrum in ulnas Vestras  
commendare ac ad pedes Vestros, studiorum Patroni munificen-  
tissimi, humiliter provolvere nō prohibuit. Accipite itaq; li-  
terarum & literatorum Evergetz liberalissimi hoc qualemque  
grati animi indicium, vultu benignissimo; accipite inquam, &  
Clarissimi Vestri nominis splendore illustratum lectoribus mul-  
tò gratius efficie. Quod ubi à vobis præsticum lento, meis  
studiis Vos plurimū qvondam profuisse facile intellexero.  
Atq; sic jam Valete Promotores studiorū munificantissimi,  
Valete iterumq; Valete, Vivite, Florete.

Dabam ex Musæo meo Oct. Anno M DC LV.  
MM, NN, CC, ac AA, DD, VV.  
Aliens perpetuā vos observatiā submissè venerans,  
SAMUEL NIGLETZIUS Tot-Lypschenj

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"  
/314. ig. j./

I. IV. I.

**I** **D**E subjectione Clericorum, Magistri Politico præstan-  
da, controversia est, à doctissimis Viris, Theologis as-  
tris, per plurima retro acta secula, mutuis concertatio-  
nibus, vario successu disputata. Illud vero, quod materiam dis-  
cepationi præbuit, hoc est: Utrum Clerici, potestati Magi-  
stratus Politici, subjecti esse debeant? Quā in re dissidiis, quæ  
circa eam occurserunt, videntur mihi occasionem dedisse, quædam  
Ecclesiæ sanctiones, quibus illa tūm contentionibus, quas səpè  
numero Clerici, partim inter se, partim cum secularibus, ad Tri-  
bunal Imperatorum refugientes, excitabant, viam præcluderes;  
tūm, hinc enascentia scandala averttere cōata est: sic enim jam o-  
lim Sec. IV, Synodus I, Antiochena determinat: Si quis Epi-  
scopus vel præbyter, vel quicunq; Clericus & omnis omnino,  
qui est sub Ecclesiastica Regula constitutus, præter consensū  
vel literas, eorum Episcoporum, qui sunt intra provinciam, &  
maximè Metropolitani ad Imperatorem perrexerint, hunc ab-  
dicari & ejici non solum de communione rebere, sed & pro-  
priā dignitate privari. Simile quid decretum est, in Concilio  
Carthag. III. can. 9. ubi sub interminatione amittenda,  
etiam optimæ cause, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Clerici ar-  
centur, à personarum secularium judicio. Reputatum idem est in  
Con. Chalcedonen. Can. 9. & suo tempore nō op̄e Sec. VI.  
in Concilio Agathensi Can. 32. iteratæ repetitions confirma-  
tum, ubi sic Can. 32. loquuntur Patres: Clericus, nec quenquam  
præsumat apud secularē judicem, Episcopo non permittente  
& pulsare. Quos Canones Principes seculares, Episcopis Clero  
præscribere facile permiserunt, ut potè, qui noverant, non eum  
in fidem

turn; sed potius, ut amputatis scandalis, qua facili ex contenti-  
onum acerbitate, suboriri poterant, ordo aliquis Ecclesiam de-  
cens servaretur; nam quantum ad ius Principum in Clericos,  
Episcopi ipsis nihil quicquam prescribere poterant, ut quod  
minus, si vellent ac necessarium putarent, causam clericorum re-  
cognoscendo, dijudicarent. Cujus rei documenta hæc sunt:  
**I.** Quia non raro causam Episcoporum & aliorum Clericorum  
audiverunt, & auditam, nomine cōsulto propriâ autoritate,  
judicialiter discusserunt, ipsisq; non nunquā poenâ affecerunt.  
Sic **CONSTANTINUS** M. in synodo Nicæna plurimos Epi-  
scopos audivit, qui causam suam coram eo proposuerant, & se  
in vicem exhibitis libellis supplicibus, accusaverant, ut scri-  
bunt Ruffinus continuator **Hist. Eccles.**, Euseb. l. 10. c. 2,  
**Socrates** l. 3. **Hist. Eccles.** c. 5. **Theodor.** l. 1. c. 3. **Juc Hist.**:  
Atrium presbyterum ejecit in exilium, quem tamen postea ite-  
rum revocavit: accersitus erat ab Imperatore Constantino  
**Arius**, operâ & studio Eusebianorum, ait Athanas. Epist.  
ad Scapion. Similiter plurimos Episcopos, ob hæresim Arii  
exilio multavit, Theod. l. 1. c. 20. In literis ad Synodum. Ty-  
rannus idem Imperator, postquam ordinatis Episcopis. Synodū  
indixisset hæc notabilia Verba addit: *Siquis Vestrarum iussionē  
nunc quoq; p̄sri pendens, adesse noluerit, aderit HINC à  
NOBIS, qui Imperatorio MANDATO, illum in ext-  
lium agat, doceatq; non oportere adversari præscriptioni Re-  
giae, propositæ de Veritate.* Theod. l. c. c. 29. Sed & A-  
thanasiū, variorum criminum ab adversariis postulatum, re-  
legavit Treverim. Theod. c. 30. Causam etiam Donatistarum  
& Cæciliani iudicavit; alti vero inquit August. Epist. 68. per-  
tinacissimi & litigiosissimi ad eundem (Constantinum) Impera-  
torem

rem appellaverunt, posse a spacio inter duas regias  
inter partes cognitam terminavit, & prius contra restram le-  
gem constituit, ut loca congregationum Vestrarum fisco ven-  
dicarentur. Eodem modo **CONSTANS**, ad quem, post  
mortem Constantini, configerant Athanasius & Paulus Con-  
stant. Episcop. postulavit à fratre Constantio, ut ad seminare  
Episcopos, quia rationem redderent de abdicatione Pauli & A-  
thasii, quietiam ad eum missi sunt, referentibus Socrate l. 2. c.  
**14.** Sozomeno l. 3. c. 9. **THEODORICUS** visi. Gothorum  
Rex, accusationem Symmachi Episcopi Romani, admisit  
eumq; damnato Laurentio, competitor ejus, in Pontificatu con-  
firmavit, & iterum dejecit, substituto in locum ejus Paulo Altis-  
di Episcopo, referente Anastasio Bibliothecario in Symmacho,  
& Platinâ in eodem p. m. 55. **JUSTINUS**, in causa Doro-  
thei Thessaloniken. Episcopi, seditionis & plurium homicidio-  
rum rei judicium criminale exercuit, in **Sugest. post. epist. 56.**  
**Hormisdæ.** Quâ de re ipse Hormisda Epis. Rom. epist. 57.  
scribit: eundem Dorotbeum Constantinopolin iussu Principis  
didicimus evocatum, adversus quem, Dominò & filio nostro  
Clementissimo, Principi debetis institere, ne ad eandem Cr-  
titatem denuo revertatur, sed Episcopatus honore deposito  
ab eodem loco ac Ecclesialongius relegetur, vel certè huc ad  
Vrbem sub prosecutione congrua dirigatur. Sed ut Romam  
mitteretur impetrare non potuit, cuius rei testis est Germanicus  
Episcopus sugest. 2. post Epist. 65. Hormis. secuta est, inquit,  
vindictæ promissio, adeò ut Dorotheus Thessaloniken. Epi-  
sco. ad Heracliam deduceretur Cruditatem, donec causa ter-  
minum reperiret: inter hæc secundum ea, que præceptis  
æcor, &

" Régi nyomtatványok, Löcse, evang. :"  
/314. ig. j./

autoritatem Apostolatus nostri, Principi insinuari curavimus, ut ad percipiendam doctrinam Catholice puritatis, Romanam præfatus Dorotheus, unum cum Aristide mitteretur. Qui respondit, causam non esse pro qua Romanum delegarentur audiendi, ubi sine accusatorum controversia se possent libertus excusare. JUSTINIANUS junior, propriâ autoritate Anastasiū Sadaitem, Patriarcham Antiochenum ejecit in exilium: Justinus inquit Evagrius l. . . 5. Anastasium his illi objectis crimini bus, primū, quod sacram thesaurum extra modum & in nullum uolum necessarium profuderat, deinde, quod convicia in ipsum jecerat, sede Antiochenā exurbavit. JUSTI 4  
NIANUS, Anthienum Constan. Patriar; Severum Antiochenum; Petrum Apameæ Episcop. & Zgaram præbyterum, damnatos in exilium expulit. Novel 42. ubi & excommunicationem Episcoporum suis decretis contra distinguit, si quid verò aliud, inquietus, in sententia sanctorum Episcoporum continetur, quæ prædictos deponit & anathematizat hoc firmius ponimus, ac Imperialibus nostris legibus ipsum corroboramus, ac si ab Imperio provenisset. Si verò aliquis ipsorum reprehendatur de cætero facere aliquid præter constituta, sciat incidisse in legibus imperialibus, quæ minores poenas declinantes, ad majores immittit indignationes. Idem Imperator Paulum Alexandrinum Episcopum, ob homicidium politico Iudicio damnatum, in exilium misit; Silverit injustè depositi & in exilium acti causam judicavit, Liberatus Diacon. in Brev. c. 22. 23. ARCADIUS Imperator, Ioh. Chrysostomum, Constan. Patriar, ob verba vehementiora, quibus in Eudoxiā Augustum usus fuit, in exilium ejecit, scribente societ. l. 6. c. 16

JUSTI-

" Régi nyomtatványok, Löcse, evang. :"  
/314. ig. j./

JUSTINIANUS alter, Callinicū Constant. Patriar. vinclatum & oculis orbatum Romam in exilium misit, scribunt Theophanes A. 703. Cedrenus, ap. Bar. t. 8. A. 703. n. 2. OTTO I. Johannem XII. ob atrocissima flagitia de sede Papalidejicit atq; Leonem VIII. civem Romanum, Lateranensis Ecclesie protoscriniorum in Pontificatus substituit, ut loquitur Platina in Johan. XIII. Luitprandus l. 6. c. 7 ap. Bar. t. JO. A. 963. n. 27. Verum abeunte Imperatore, inquit Platina l. c. & in Benedicto V. Johannis cognati & Clientis, pulsō Leone, Johannem revocant — quo mortuo Benedictū subrogant. Sed Imperator iratus, abrogato Benedicto, Romanos Leonem suscipere cōegit. HUGO Rex, eodem modo Racherium Episcopum Papiam in exilium misit, testis est Platina in Johanne XI. Plura ad hoc argumentum illustrandum, facientia exempla, legat cui volupe est, in Venetorum, ad Baronii Parænesin, 5 responsione, p. m. 44. s. II. Quia de Episcopis & Clericis, bonis & spiritualibus, leges tulerunt, quibus illos ad subjectionem & obedientiam obligarunt. Sic nov. 3. c. 1. fertur lex de non auggendo, in Ecclesia Constantinopolitana majori Clericorum numero. c. 2, prohibentur iidem, de minori Ecclesia, transire in maiorem. Novel. 6. c. 1. fertur lex de Episcopi ordinatione, moribus, vitâ, honestate, fortunis. Novel. 123. c. 1. de Episcoporum ordinatione; c. 2. 7. 8. de accusatione, & ad judicem secularem evocatione; c. 3. de bonorum ablitione; c. 4. de servilis conditionis, per Episcopatum abolitione; c. 6. de Presbyterorum, diaconorum, à secularium curarum abstinentia; novel. 7. c. 2. de non alienandis bonis, ad Ecclesiam pertinentibus. Plura qui cognoscere cupit, consulat Corpus Juris Civilis aut saltuum ea inspiciat, quæ annotavit D. Gerhard. t. 6. LL.

B

Com.

Com. de Magistratu Pol. § 446. III. Quia etiam tunc, 16.  
cum jam maximè Pontifices Rom. in solecerent, suamq; potestatam excolendo, Imperatoriam deprimere tentarent, masculé resticerunt, atq; jus avitum defendenterunt. Pater hoc ex capitulo primo syno. Ravennatensis, sub initium sec. X. à Johanne IX. celebrata, quod Lambertus Imperator, qui synodo interfuit, contrà factum Pontificum proposuit, sic sonans:  
si quis Romanus cujuscunq; sit ordinis seu de Clero seu de Senatu, seu de quoconq; ordine gratis ad nostram Imperiale Majestatem ventre voluerit, aut necessitate compulsus ad nos voluerit proclamare, N U L L U S eis contradicere præsumat, & neque eorum res quipiam invadere vel deprædari aut eorum personas in eundo vel redeundo vel morando inquietare præsumat, donec liceat Imperatoria potestati, eorum causas aut personas, aut per missos nostros deliberare. Qui autem eos inquietare eundo, redeundo vel morando tentaverit, vel eorum quipiam rerum auferre: postquam per nostrostram misericordiam se proclamaverint, Imperialis ultionis indignationem incurrat. Apud Bar. t. 10. a. 904. n. 19, Pari animositate jus Regium in Clericos, jam sec. XI. defendit Henricus III. Imperator: nam cùm Romæ sedes Episcopalis schismate turbaretur, commotus indignitate rei, iter in Italiam suscepit, atq; ibi Archi-Episcopū Ravennatē, dignitate privavit, pseudo-papas Ecclesiā depulit, & Svidgerum Saxonem elegit, deinde Clementem II dictum, ut scribit Hermannus Contractus, hujus temporis scriptor, ap. Bar. t. 11. a. 1046. n. 1. & apud Onuphrium in annotatione ad vitam Gregorii VI. à Platina scriptam. Partem hanc in te, imitatus est filius Henricus IV. qui itidem fortiger, in defendendo iure Imperatorio in Clericos aduersus Pontifices

tifices pugnavit, referente Schalmaburgen. in Chroico a. 1073.  
7. IV. Quia ipsi Pontifices se ipsos, unā cum Clero per multa secula, potestati politicæ subjecti sunt, nec unquam, ob eam causam, quod Imperatores jus in eos exercerent questi sunt. GREGORIUS M. Epis. Rom. sub finem sec. VI. se & omnes Clericos Imperatoribus esse subjectos, agnovit. I. 2. Indic. IJ. Epist. 64. ubi sibi valde mibi durum videtur, ut ab ejus (Dei) servitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & DOMINARI non solum militibus, sed etiā SACERDOTIBUS concessit. Sic & HADRIANUS I. agnovit in Carolo M. jus & potestatem Pontificem eligendi; sedem Apostolicam ordinandi; Episcopos, Archi-Episcopos, investiendi, idemq; qui elevare ac labefactare tale quid tentaret, A.N.A.THEMATE ferendum, & nisi resipisceret, bona publicari precepit. Dist. 63. c. Hadrianus, exhib. Sigebert. Gē, Sacen, Chronica a. 773. Bellar. l. J. de trans. Imper. c. 13. quicquid novissimè contra commentus est Baron. t. 9. a. 774. n. 13. factum in dubium adducere contendens. Nec concessio; sed declaratio hæc fuit divini iuris, quod Carolus Imperator tanquam legitimus Magistratus, in suos Cives, sibi à Deo concessum habuit. LEO IV. sec. IX. Lothario & Ludovico Imper. se per omnia subjecit, sic scribens ad Lothacium: de capitulo vel præceptis Imperialibus vestris, restrorumq; Pontificum prædecessorum, IRREFRAGABILITER custodiendis & conservandis, quantum valimus & valemus, Christo proprio & NUNC & in E V U M nos conferraturos modis OMNIBUS proficiemur. Et si forfasse, quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis, eum

" Régi nyomtatványok, Löcse, evang. :"  
/314. ig. j./

CUM PROCTO PLENDIDISSIMO. D.M. JO. C. 9. AD L. dovicum verò sic: Nos si incompetenter, inquit, aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus VESTRO, ac messoram vestrorum, cuncta volumus EMENDARE judicio. Indè magnitudinis magnopere clementia IMPLORAMUS, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirendæ missos in his partibus dirigitis, qui—sive minoræ sive etiam majora illis sint de nobis indicata negotia, ita EORUM cuncta legitimo terminentur examine, quatenus imposterum nihil sit, quod ex iis indiscutsum aut indefinitum remaneat. Cap. 2. q. 7. c. 4. NICOLAUS I. itidem epist. J. ad Michaelem Imper. d. Jo. c. 8. facetur procurju temporalium rerum Imperialibus legibus Pontifices uti. CONSTANTINUS Papa, Justiniani Imperatoris edicto, quo evocabatur Constantinopolin, obedientiam negare non fuit ausus: misit, inquit, Anastasius in eodem, Imperator ad Constantium Pontificem sacram, per quam jussit eum ad Regiam descendere urbem. Qui Santissimus vir, JUSSIS Imperialibus obtemperans, duo navigia fecit parari, quatenus iter aggredieretur maritimum. Plat. in Constant. I. SYL VESTER II. ad Ottomem Imperatorem epist. 15 p. sic scribit: PAREMUS ergò Cœsari, Imperialibus editis, rùm in HOC, tûm in OMNIBUS, quæcunq; divina Majestas decreverit: non enim de esse possumus OBSEQUIO, qui nihil inter humanas res dulcius aspicimus vestro imperio. At quæ sic per hæc 8 tempora Imperatores illibatum jus retinuerunt in Clerum, licet jam sec. IX. Nicolaus I. Ponit ex; sive quod Canones olim sanctos, male intellexerit, sive quod dignitatem suis praecessoribus

benignitus majorum antecrant, placuisse, quod prædicta potestas dientia Magistratu Politico præstanta, docuit cum haec limitacione esse accipienda: scilicet si jure legitimo regnent: sicut enim scribit ad Adventum Episcopum Metensem, ap. Bar. t. Jo. a. 865. n. 60. Illud verò quod dicitis Regibus & Principibus, Vos esse SUBJECTOS, eo quod dicat Apostolus (ergo tunc propter divinum mandatum, Episcopi sese, potestati Principum subjecerunt.) sive Regi tanquam præcellenti, PLACET. (Cur autem nunc displiceret?) Verum tamen videte, utrum Reges isti & Principes, quibus vos subjectos esse dicitis, veraciter Reges & Principes sunt:— videte, si jure principentur. Qui primus ceteris glaciem frigisse videtur, ut Principum potestatem contemnere aggredierentur, contra manifestum preceptum Pauli, qui sine tali inquisitione Neroi obedientiam præstare jubet. Sub finem hujus seculi insolentior factus est Johannes VIII. qui, d. 96. c. JJ. si Imperator: ad sacerdotes, inquit, Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates. quos, si fideles sunt, Ecclesiæ sive sacerdotibus voluit esse subjectos.— Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre. Per hos, sec. XI. Alexander II. audacior factus, Henricum IV. Imperatorem Romanum ad suum tribunal citavit, quâ stolidâ audaciâ Imperator commotus, Pontifici lynodum à te congregatam opposuit, atq; ut scribit Schafnab. a. Jo 73. sub attestatione nominis divini affirmabat, se in eum, si quis id præsumisset (appellare scil. ad Pontificem) capitalis sententia animadversarum, & omnia, quæ ejus essent, usq; ad internectionem, dissipaturum. Quas minas despiciens Hildebrandus dictus Gregorius VII. denudò Henricum, iure suo uten-

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang.:"  
/314. ig. j./

tuo uidentem, ciravit Romam dictuum caulam coram Papa de criminibus, qua ipse objicerentur, nisi velit anathematæ corpore Ecclesiæ abstendi, scribente Schafnab. a. 1076. Sed Imperator coacto Wormatiz Concilio, Hildebrando Papatum abrogavit, qui objecta eidem Synodo Romanâ laudatissimum Principem, unum cum ceteris ipsi adhaerentibus, inaudito hactenus exemplo, fulmine anathematis percussit. Lamb. Schafnab. l. c. Bar. t. I. a. 1076. n. 6. Multis tandem difficultatibus implicatus, inter tot Principum, cum Pontificibus certamina succubuit, ac, ut pace aliqua perfui posset, a Hildebrando conciliationem petiit, acceptatis quæ ab eo prescribebantur, conditionibus, Regia Majestate minime dignis. Inter has una erat: quod si purgatis, quæ objicerentur, potens confortatus in Regno subsistet, SUBDITUS Romano Pontifici semper, de quoq; OBTEM PERANS foret. Gratianus, inquit Schafnab. a. 1077. Rex accepit conditiones, et servaturum se omnia, quam sanctissimis poterat, assertionibus promittebat. Sed mox poenitentiâ ductus omnia rescidit, atq; Hildebrando denud Papatum abrogavit, substituto in locum ejus Gilbertio Ravenna Archiepis, dicto Clemente III. Vexatus tamen im posterum ab Urbano II. & Paschali II. Pontificibus, à propriis filiis desertus vitam miserè finiit, atq; sic, cum eo ius avicu Imperatorum in Clericos, in occidente interierit. Haec scilicet est gratia Pontificum, quam referunt piis Principibus, sanguinem scopè, Vitamq; pro tuenda eorum dignitate, profundentibus. Ceterum, per hoc tempus nullum ad huc decretum fuit procus, quo Principes suo iure privarentur, primus id sec. XI. fecit se videtur Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. c. 43. ubi prohibet Clericos, nihil, temporale possidentes, ad fidelitatis juramentum adigi à Laicis. Laicis, inquit, c. 44. disponendi maneat necessitas, non autoritas imperandi. Eodem mo do Alex.

do Alexander IV. seculo XIIII. publico interdicto prohibuit personas Ecclesiasticas, de quibuscumq; possessionibus census dare de Immunit. Eccles. c. quia. Idem statutum reperit Bonifacius VIII. de censibus c. 4. quā quam, ubi Ecclesiast. ecclasticasq; personas & res eam jure humano & divino, à ecclesiasticasq; personas & res eam jure humano & divino, à lectionarium personarum exactionibus, vult esse immunes, qui vero inquit, contrá fecerint, si personæ fuerint singulares, ex communicationis sententias ipso facto in current. Inde cap. clericis de Immunit. non veretur excommunicationi subiecere, Imperatores, Rages, Principes, Dukes, &c. si census ex bonis ecclesiasticorum sumplerint; Clericos vero si solverint. Nihil solvant, inquit, nec supra dicti seculares quoquo modo recipiant. Et si solverint, vel predicti acceperint, in excommunicationis sententiam incident ipso facto. Quam veliam amadvertis Clemens V. sec. XIV. eam in Concilio Wienensi abolivit, ubi inter cetera sic loquitur: nos de concilio fratrum nostrorum constitutiones & declarationes predictas (Bonifacij VIII.) - penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis quæ nos sub attestatione divini iudicii, præcipimus observari districte, salubriter est provisum. Sed huc Clementina provisio, subsequentes Pontifices, non reddit meliores: nam Leo X. sec. XVI. denud Bonifacii constitutionem repetens confirmavit, in Concilio Lateranensi, sub ipso celebrato sess. 9. in reformationibus curia, ubi sic: cū à jure, inquit, tām divino quā humano Laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus önes & singulas constitutions Bonifacii 12 Pape VIII. - in favorē libertatis ecclesiastice. Inter has Pontificum oppositas sententias hodiè Jesuitis posterior eaq; novissima,

" Régi nyomtatványok, Löcse, evang. :"  
/314. ig. j./

ma, ad eō placet, ut priorem, quam Clemens, sub attestatione di-  
vini judicij, fidelibus servandā præcepereat, Bellar. l. de Cler. c.  
24, tanquam hæreticam damnare non reformidet. Suam autē,  
aliquot propositionibus exponere conatur, quarum tertia est:  
Et si Clerici teneantur leges civiles servare, non tamē possūt  
à judice politico puniri, vel ullo modo trahi ad secularis Ma-  
gistratus tribunal. Quarta sic habet: *Bona Clericorum et Ecclesiastica*, quām secularia, libera sunt ac merito esse debēt,  
ā tributis Principum secularium. Sic & Soarius Defens. Catho-  
licæ advers. Anglic. defendit: Clericos omni jure, di vino & hu-  
mano, à potestate Principum secularium esse exemptos, non  
solum in spiritualibus & ecclesiasticis causis, l. 4. c. 2. ; sed etiā  
in rebus & causis temporalibus, c. 3. De Pontifice in sequen-  
tibus afferit, eum ita exemptum esse, à potestate Principum,  
ut non possit se judicio humano in qua cunctis tandem re, submit-  
tere c. 7. Hæc est sententia Pontificiorum, a prima origine dedu-  
cta. At Catholicæ Ecclesiæ, prout eam sinceri ejus Doctores, adj<sup>z</sup>  
posterioratis memoriam, in suis scriptis expresserunt, longè alia  
fuit: sic enim jam seculo II. JUSTINUS Martyr, apol. 2. ad  
Antoninum Imperat: *Vestigia sanc*t*e, inquit, & collationes  
eis, qui à vobis sunt ordinati exactoribus pro omnibus ubiq*s* in  
ferre contendimus: quemadmodum ab eo sumus instituti --*  
*reddite igitur, ait, quæ Cæsaris sunt Cæsari, quæ Dei Deo.*  
*Proinde nos solum Deum adoramus, & vobis alijs in rebus  
LÆTI inservimus, Imperatores ac Principes hominum esse  
profidentes.* ATHENAGORAS in Apologia à M. Aurelio An-  
tonino, & L. Aurelio Commodo petiit, ut revisâ causâ Christi-  
anos judicarent: quinpotius inquit, sistamur in judicijs, ut à  
criminibus

criminibus illis, quæ cunctis nobis intentantur, aut absolvamur,  
aut, si convicti fuerimus puniamur. IRENAEUS postea-  
quam prolixè disservisset de potestate Regum, adductis ali-  
quot sacrae scripturæ locis, quibus eam probavit à Deo, non  
diabolo prouenisse, hæc subjecit: ex secundum hoc ministri  
Dei sunt, qui tributa exigunt à NOBIS, in hoc ipsum servi-  
entes quæ sunt potestates, à Deo ordinatae sunt. l. 5. adv.  
hæc. fol. 243. fac. 3. Seculo III. TERTULLIANUS l. de Ido-  
lolat. c. 25. sic docuit: ideo quod attinet ad honores Regum  
vel Imperatorum satis præscriptum habemus, in omni obsequio  
esse nos oportere, secundum Apostoli PRAECEPTUM,  
subditos Magistratus & principibus & potestatibus; sed  
intralimites disciplinæ, quo usq*ue* ab idolatria separamur. Si-  
milia habet in Scorpiano adversus Gnosticos in fine, ubi i-  
tidem ex scripturæ locis potestatem secularis in omnes sine  
exceptione, confirmatam reliquit. ORIGENES postea-  
quam l. 9. in c. 13. Rom. de potestate Magistratus disservis-  
set, eamq*ue* testimoniis scripturæ firmasset addit: exigunt à  
nobis (potestates世俗的) tributa terræ nostræ, & negligit  
negotiationis nostræ. Et quid dico de nobis? exolvit tributum  
etiam Dominus noster J. C. in carne positus — quod si ille, quæ  
nihil habebat in se Cæsaris — solvit tributum — quanto ma-  
gis nos necesse est ista tributa carnis expendere. CYPRIA-  
NUS l. 3. testimoniorum ad Quirinum, n. 38. servum Dei, ait,  
innocentem esse debere, ne incidat in pœnam secularis. In E-  
pistola

C.

" Régi nyomtatványok, Löcse, evang.:"  
/314. ig. j./

psicola Pauli ad Róm. vis non timere potestatem, bonum fac,  
et habebis laudem ex illa. ATHANASIUS Apologia ad Gó-  
stantium, suam innocentiam pluribus coram eo excusat, &  
quam obedientem se erga ipsum gessisset, testatur inquiens:  
nequaquam restiti mandatis tuae pietatis, minime gentium, absit.  
— non enim ita INSANIO, ut istius modi præceptis cō-  
tradicendum putarim. AMBROSIUS epist. 88. ad Eugeni-  
um Augustum: in his, inquit, in quibus vos rogari decet, eti-  
am ex M. exhibere sedulitatem potestati debitam, sicut ex  
scriptum est: cui honorem, honorem, cui tributum, tributum.  
Oratione in Auxentium de tradendis Basilicis; si tributum, ait,  
petit Imperator, non negamus: agri Ecclesiae solvunt tributum.—  
Tollant eos, si libitum est: Imperatori non dono, sed non nego.  
BASILIUS M. in constitutionibus Monasticis c. 22.  
Monachos & Clericos sic alloquitur: Paulus Apostolus in  
ea epistola, quam ad Romanos scripsit, ipsi precipit, ut excep-  
tione omnibus illi Potestatibus omnes subiecti sint: — in quo  
loco qui vel minimum potestati resistit, cum ait DEO ipse RE-  
SISTERE. Quomodo EUSEBIUS Samosatenlis Epi-  
scopus, licet iniquè, à Valente Imperatore Arriano damna-  
tus, suaq; sede cedere jussus, propter legem Apostolicam, de  
exhibenda subjectione Magistratui politico, etiam peritus  
à Civibus māere noluit, narrat Theodor. Hist. Eccles. l. 4. c.  
14. JOHANNES CHRYSOSTOMUS Hom. 23. in  
Rom. 13. explicans illa verba: omnis anima &c. interea vero  
inquit, eas rationes quas commemoraui non mouet, sed eas, quæ  
potestat

potestatibus ex debito obedire jubent, ostendens quod ista in-  
perentur omnibus & SACERDOTIBUS & MO-  
NACHIS non solum secularibus, id quod statim in ipso  
exordio declarat, cum dicit: omnis anima &c. — etiam si  
Apostolus sic, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tan-  
dem fueris: neque enim PIETATEM subvertit ista subje-  
ctio. AUGUSTINUS, sec V. epist. 162. sic loquitur: ait quidam  
non debuit Episcopus proconsulari iudicio purgari, quasi vero  
ipse sibi hoc comparaverit, ac non Imperator ita quarti juisse:  
rit, ad cuius curam, de qua rationem Deo redditurus esset,  
res illa maximè pertinebat. — si autem criminis non est pro-  
vocare ad Imperatorem, non est criminis audiri ab Imperato-  
re, ergo nec ab illo, cui causam delegaverit, Imperator.  
THEODORETUS in Rom. 13. Omnis anima, ait, potestati-  
bus sublimioribus subiecta sit: sive est SACERDOS aliquis,  
sive ANTISTITES, sive monasticam vitam professus sit  
cedat, quibus sunt mandati magistratus. GELASIUS Epis.  
Rom. ad Anastasium Imperat. epist. 8. t. 2. Concil. sic scri-  
bit: si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ,  
cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legi-  
bus tuis ipse quoq; PARENT RELIGIONIS AN-  
TISTITES, ne vel in rebus mundanis exclusa videantur ob-  
viare sententia, quo, rogo te, decet affectu eis obedire, qui  
erogandis VENERABILIBUS, sunt attributi MYST-  
ERIIS. GREGORIUS M. sec. VI. l. 4. Indic. 13. episo-  
di. ad Mauritium Augustum: Sacerdotibus autem, non ex  
terrena

" Régi ny omtatvénnyok, Lőcse, evang. :"  
/314. ig. j./

terrena potestate, Dominus NOSTER citius indignetur,  
sed excellenti consideratione propter eum, cuius servi sunt, eis  
ita DOMINNETUR, ut etiam debitam reverentiam im-  
pendat. ISIDORUS, Hispalensis Epis. de Summo bono  
c. 23. Principes seculi, inquit, non nunquam intra Ecclesiam  
potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem,  
disciplinam Ecclesiasticam muniant. — Nam sive augeatur  
pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur,  
ille ab eis rationem exigit, qui eorum POTESTATE suam  
Ecclesiam credidit. CONCILIO LATERANENSE  
tempore Martini P. celebratum, consult. 2. ad Constantium  
Augustū, sic scribit: pro qua re pietati vestræ, cuncti vestræ  
Affricæ Domini sacerdoce coram Domino SUPPLICA-  
MUS, ut novellæ præscriptionis scandalum, quod ad versus  
fidem nostram attentacum est, auferatur, fratremq; nostrum  
Paulum Constant. Eccl. Episcopum REGALI AU-  
TORITATE, ut nobiscum, s. c. cum omni Generalitate  
orthodoxe sapere debeat, CORRECTARE dignemini.  
Eandem autoritatem in Princibus agnoscit Concilium Tole-  
tanum IX. c. 1. BERNHARDUS, sec. XII. epist. 42. ad Hen-  
ricum Archi-Episcopū Senonensem: omnis anima, scribit, poten-  
statibus sublimioribus subdicas. Si OMNIS & V E-  
STRÆ. Quis vos exceptit ab universitate? si quis tentat ex-  
cipere, conatur DECIPERE. Nolite eorū acquiescere cō-  
siliis, qui cum sine Christiani, Christi tamen vel sequi facta, vel  
obsequi dictis opprobriū ducunt. — Christus aliter iussit: & ges-  
reddite

sit reddite, ait, quæ sūt Cæsarīs, Cæsari, & quæ sunt Dei, Dic.  
Quod ore locutus est, mox opere implere curavit. Conditor  
Cæsarīs, Cæsari non est cunctatus reddere censum. Exem-  
plum dedit vobis, ut & vos ita faciatis. Quibus verbis ostē-  
dere vult, quid facere deceat Archi-Episcopum; sed haud  
dubiè tacitè, cum palam aulus non fuerit, reprehendit Pon-  
tifices, qui jam tunc insolentiores facti, se à Potestate Prin-  
cipū eximebant. Tuere tamen sequentibus temporibus, in  
Papatu, viri erudit, qui Principum autoritatem contra Cle-  
rū acriter defenderunt, ut Guibelmus Occam, Marsilius de  
Padua, Joh. de Janduno, Marsilius Patavinus, Johannes Wicle-  
phus, Johānest Ius, Johannes Parisiensis, Franciscus Victoria,  
ex recentioribus, Rogerius Widdringtonus, apud H. Grotium  
de Imperio summarum Potestatum c. J. n. 14. & alii quā plurimi  
jam post Concilium Trident. citante Theodoro Rein-  
kinkg trac. de Regimine seculari l. J. C. 2. c. 5. n. 19.  
Hæc certamina experta est Ecclesia Latina seu occidentalis. At  
Orientalis, super hoc puncto nullam unquam, cum quoquam  
hominum, item habuit, adeò, ut Baldwinus Imperator, Inno-  
centio III. Papæ qui ob id, eum reprehenderat, quod Patriar-  
cham Constantinopolitanum, infrasé in parte sinistra, collocá-  
ret, sic respondit: Sacerdotium subesse imperio, & aliani esse  
Petri, quām Pontificis vocem: subditi estote Regi, tanquam  
præcellenti, & ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam.  
Sic & Johannes Palæologus Græcorum Imperator sec. XV. cum  
suis, quos tunc comites habebat, veniens ad Concilium Floren-  
tinum, ut est in actis ejus T. 4. Concil. fastum Eugenii IV. Papæ  
qui supra ipsum Imperatorem, se extollere, & supremum in  
concilio

" Régi nyomtatványok, Löcse, evang. :"  
/314. ig. j./


Concilio locum, votumque voluit, mirari satis non potuit. Ex 16  
his latus constare potest, quam inanè sic est fugium Baronij &  
Bellarmini Cardinalium, qui negant Imperatores unquam in  
Episcopos & Sacerdotes, sententiam tulisse; sed latam à Cō-  
ciliis, tancum executores esse: nam si cum his conferantur, quas  
hactenus dicta sunt, exceptio abiit in tumos, siquidem ut vidie-  
mus, multa interdum mandasse Imperatores Episcopis, sapè  
etiam eos poenis affecisse, antequam aliquis convocaretur Sy-  
nodus, imò interdum etiam nulla secura est. Sic ante Synodum  
Nicenam, invicem se coram Imperatore accusarunt Episcopi;  
Arius ab exilio revocatur & recipitur, autoritate Regia sine Sy-  
nodo; ante synodum Tyriam Imperator minatur Episcopis, si  
dicto parere neglexerint. Deinde quomodo Imperatores dicil-  
ebent, sententiā latarum, tancum executores, cum  
incontroversiis clericorum, ad eorum tribunal, tanquam sum-  
mum & ultimum fuit provocatum? Concilium Toletanum  
LX. c. J. præscribit: siacerdotem seu ministrum aliquid ex  
collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis ho-  
nesta conventionē compescant, aut EPISCOPO vel FU-  
DICL corrigendum denuncient: quod si talia Episcopus ten-  
tat, METROPOLITANO ejus, hæc insinuare procu-  
rent: si autem Metropolitanus talia gerat, REGIS hæc au-  
ribus intimare non differant. Hoc decretum est, etiam lege  
Imperatoria firmatum novel. 123. c. 21. At nonne ab infe-  
riori ad superiorē appellare solent? si igitur, inquit Atha-  
nasius Apologia ad Constantium, apud alios accusatus esset,  
ad tuam Majestatem provocarem, quemadmodum Aposto-  
lus dixit: Cæsarem appello, & cessatum ab insidiis contra eum.  
Jam cum apud ecclasiā mibi ausi sunt intentare, ad quem  
à tè quæ-

à te quæsio, appellare potero nisi ad Patrem ejus, qui dicit: "I ego sum veritas. Sic & facultas condendi leges, pertinet ad suam main Potestatem, ut probat Reinkingk de Reg. sec. I.  
2. C. 2. c. 5. n. 25. s. quam Imperator habet, non ex pri-  
vilegio Papæ; sed jure Regio, ut loquitur, & adductis ad  
hoc testimentiis, probat idem autor I. 3. C. J. c. J. n. 9.  
Hoc equidem libenter damus, quod antequam Clericorū lites,  
ad summam potestatem deferentur, omnia prius in Ecclesia esse  
tentata, ne cum scandalo in foro lites Dd. Ecclesia ventilaren-  
tur; sed ob hoc Clericos à potestate Principum fuisse exemptos,  
id est, quod hactenus nullatenus adversarii probare potuerunt.  
18 Sed nec illud quicquam momenti haber quod adverarii obver-  
tere solent, quando dicunt: Patres hactenus citatos loqui de  
Magistratu Echino, qui nec Christo nec ejus Episcopis se subje-  
cit; non Christiano: nam manifesta hæc est sententia Sanctorū  
Pp. corruptio: que enim hæc fuerit sacri textus interpretatio:  
ōnis anima sit subjecta &c. scil. magistrati Echino, nō Chri-  
stiano. Nonne & ii Patres, qui sub Principibus Christianis vi-  
xerunt, eodem modo sicut priores, dicta scripturae subjectionē  
magistratui exhibendam, præcipientia, explicaverunt? Num  
quid fides Christiana, que tanquam forma accidentalis habet  
se ad Republicas & humanas societas, quas Deus tanquam  
autor & reparator Naturæ, ad conservandum inter homines, bo-  
num ordinem instituit, Principes spoliavit sua potestate? ha-  
quidem olim Donatistæ, & hodiē Anabaptistæ senserunt?  
Donatus, enim, solito furore succensus, in hæc verba erupit:  
quid est Imperatori cum Ecclesia: — jam tunc meditabatur  
contra præcepta Apostoli Pauli, Potestatibus & Regibus  
injuriam facere, inquit Optat. Milev. l. 3. contra Parmen.  
Si igitur

" Régi nyomtatványok, Löcse, evang. :"  
/314. ig. j./

Si igitur nolitis adverlariis, hoc taret eo furore correptos  
homines, socios habere placet, permittimus sanè, sed quā  
fronte nos clamant esse hæreticos, ipsi hæresiū interpola-  
tores, velim diligentius dispiciant. Nos interim inhære-  
mus doctrinæ, quam Patres ex Christi & Apostolorum, le-  
ge, quæ haud dubiè perpetua esse debet, deduxerunt: di-  
cunt enim Clericos ob id, subjectos debere esse magistra-  
tibus, quod nec Christus iis subjectionem negaverit;   
Paulus verò & Petrus Apostoli, eandem exhibendam ex-  
pressè, præceperint. Quam doctrinam defendit Lu-  
therus noster t. J. Jenen. Lat. & t. 5. Jen. Germ f. 148.  
ac insinuat August. Confes. a. 16. in Antit. Apol. ad  
ar. 16. p. m. 215. quos sequuntur cæteri Theologi commu-  
niter. Vid. interim Bald. de Casib. Cons. l. 4. c. 12, cas. 13.  
Meisner. de Legibus l. 4. sec. 2. a. 2. q. 6. Gerhar. LL.  
Com. t. 6. de Magist. Polit n. 440. s. Consentunt Calvi-  
niani, quorum testimonia plurima concessit H. Grotius  
us de Imper. sum. potest. c. r. n. 8. & David Blondellus,  
libello de officio Magistratus Christiani

circa sacrum Ministerium, ubi  
legi possunt.



" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"  
/314. ig. j./

19 **C**eterum ut sententia Catholica, paulò plenius expli-  
cetur, atq; id, de quo lis & controversia est, ab eo,  
quod utrinq; habetur pro confesso, secernatur, notamus I.  
quod Clerici seu Ministri Ecclesiæ considerari possunt, vel  
ratione sui officii, & variarum functionum ad illud perti-  
nentium; vel ratione societatis politicae, in qua vivunt, cu-  
jus partes sunt, communiter cum cæteris civibus, commodi-  
tibus publicis utentes. Quà prius, non dicimus eos ali-  
cui homini, etiam in summa dignitate constituto, esse sub-  
jectos; sed hoc modo immediate, soli subsunt Deo; sicut  
enim Ministerium sacrum, à Deo ipso, tanquam supremo  
omnium autore, descendit in homines: ita illi soli immedi-  
atè subjicitur. Quod tamen sic accipiendum est, videlicet  
quod nemini præter ipsū circà illud, sive mutandi, sive dis-  
pensandi, quicquam potestatis sit concessum; non verò ad  
cum modum intelligendum, quasi Ministris Ecclesiæ pro  
arbitrio integrum esset, facere quicquid velint: nam si de-  
linquunt, & extra terminos suæ vocationis, vagentur omnia  
nō cōcereri possunt, & meritò debent. Verùm hoc perti-  
net ad totam Ecclesiam, cuius est officii, causam Clerico-  
rum recognoscere, & eos, secundùm scripturas, & purioris  
Ecclesiæ canones, judicatos pœnâ afficere. Quà posterius,  
personæ Ecclesiasticæ, simpliciter quantum ad jus Divinum  
Magistratui Politico, terras quas inhabitant possidenti,  
subjectæ esse debent. Sed & alio ad huc modo, Clerici con-  
siderari possunt, videlicet, Vel quoad personas, vel quoad